

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 207

**Autre(s) référence(s) :** Tabuteau 302

**Auteur(s) :** Landry, Chartres, Saint-Père (abbé)

**Bénéficiaire(s) :** Chartres, Saint-Père (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1040-1069]

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Landry, abbé de Saint-Père de Chartres, après avoir rappelé l'acquisition par l'abbaye de terres situées à Planches, notifie l'abandon, devant la cour du château de Moulins-la-Marche, des prétentions élevées par Giraud, fils du prêtre Fulbert.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Guérard Benjamin, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Père de Chartres*, Paris, Crapelet (Collection de documents inédits sur l'histoire de France ; 1ère série. Histoire politique), 1840, 2 vol., t. 1, p. 162-163.

### Indications

Tabuteau Emily Zack, *The Family of Moulins-la-Marche in the Eleventh Century, Medieval Prosopography* n°13, 1, 1992, p. 38

## Dissertation critique

Landry est abbé de 1033 à 1069. L'acte est daté de 1062-1063 par Jean Adigard des Gautries. E. Tabuteau le considère comme postérieur à 1040-1050 et antérieur à 1069.

Texte établi d'après a

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Landricus, gratia Dei, abbas cœnobii Sancti Petri Carnotensis, quod decenter et honorifice, non longe ab ipsius civitatis porta quæ vocatur Cinerosa, priscis temporibus situm est ; in quo non modica monachorum congregatio, secundum regulam sancti Benedicti ac aliorum præcedentium patrum exempla, pie vivens in hymnis et canticis spiritualibus, intimo cordis affectu pervigil, ceterarumque virtutum claris adornata insignibus ; perdia et pernox tendit ire, Petro præsule, per hujus mundi numquam quietum pelagus, ad æternæ patriæ portum semper amoenum ; Christum quoque sedula prece exorat pro cuncto populo catholico, specialiter vero pro his quorum beneficiorum atque largitionum juvamine, in hoc fragili carnis gurgustio, dum vivit, sustentatur. Cum hac, inquam, ego prædictus abbas notum fore volumus cunctis fidelibus, tam presentis quam venturi evi, quod quidam monachus noster, VVarinus nomine, nostræ cujusdam cellæ provisor, in finibus Normanniaæ in honore Dei genitricis Mariæ constructæ, in villa quæ vulgo Plancas vocatur, a quodam presbitero, nomine Fulberto, jure perpetuæ emit emptionis terram, videlicet Gualterii de Vico terramque Guarnerii. Pro hac quoque XX solidos nummorum dedit, pro altera tres libras nummorum. Domni quippe supradicti

presbiteri, duo scilicet fratres, VVillelmus de Fageto et Guimundus, ut huic venditioni præberent assensum, XX solidos, tantumdemque etiam domno eorum dedit, Guimundo scilicet Felici, cuius tunc erat ipsum castrum de Molinis, de cuius beneficio supradicti duo fratres terram illam tenuerant. Itaque, tam a presbitero supradicto quam a domnis ejus supradictis, positum est donum super altare almae matris Domini, videntibus et audientibus his quorum nomina subscribere mandavimus. Prius vero assignare curavimus, quia Giraldus, supradicti presbiteri filius, adnitus est reclamare sibi supradictæ terræ partem ; set, convictus in curia de Molinis castri, coram domna ipsius castri Albereda, scilicet filia Guimundi Felicis, donum et ipse posuit super altare, habens inde quinquaginta solidos. Cujus rei testes sunt hi : Guido presbiter, Fulbertus de Plancis, Herbertus de Melicurte, Seirannus de Plancis, Restaldus mediator, Corbellus, Guillelmus vinitor, Turoldus famulus, VVillelmus Canutus, VVillelmus de Aspris ; VVillelmus, filius Milonis ; Ebrardus de Ruga.